34.5.H.17

MVTII SFORTIAE MONOPOLITANI CLEMENTIADOS

LIBRI II.

AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D.

PETRVM ALDOBRANDINVM

S. R. E. CARD. AMPLISS.



BIBLIOTECA NAZ. ROMANA VITTORIO EMANUELE

ROMÆ, Apud Aloyſium Zannettum. M. D. XCIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D.

PETRO ALDOBRANDINO S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO.

MVTIVS SFORTIA.

CVM Fama tumidis buccis. PETRE ALDOBRANDINE Cardinalis Ampliſs. CLEMENTIS VIII. Pont. Maximi, tui patrui, heroicas, ſingulareſq; virtutes per totum ferè terrarum orbem diuulgaret: omniumq; animos in eius admirationem adduceret: ego illas procul audiens, & quodam mentis obtutu proſpiciens, vſque adeò illarum amore inflammatus ſum: vt diſrumperer, ſi tantum Pontificem, nobis Dei munere quaſi à cælo miſſum, aliquo extemporaneo poemate, vt par erat, non celebrarem. Itaque Admiratione vnà cum Amore mihi ingenium faciente, & carmina dictante, intra menſtruum ſpatium hoc poema in duos libellos diuiſum, abſolui. Cogitantiq; mihi cui nam hos dedicarem: tu ante omnes occurriſti. Cui enim ſanctiſſimi patrui laudes rectius, ac iuſtius nuncupari poſſent, quàm tibi dilectiſſimo eius fratris filio? Qui paternum, & auitum nomen ſuſtinens PETRVS ab illo diceris Petro, qui Iuriſprudentiæ Oraculum ſua ætate Syluestrum genuit, virum editis ingenij monimentis apud legum peritos celeberrimum, Summiq; noſtri Pontificis feli liciſſimum parentem. Tibi igitur, vt tanti nominis hæredi, & Illuſtriſſimæ ALDOBRANDINAE gentis ſpei, has dedico, ac dono. Sperans per te aliquando in ipſius Pont. Maximi manus peruenturas. Sed neſcio qua nam Dei fauentis gra-

tia;& quo felici euentu accidit, vt dum hi libelli prælo cuduntur, tu cum incredibili omnium lætitia à CLEMENTE VIII. tuo patruo de repentè inter ſacros, purpureosq; proceres aſcribereris: vt ſcilicet hi etiam inter ouantes applauſus vniuerlæ Romæ, acclamationesq; publicæ lætitiæ tibi congratulatum venirent. Aſpice igitur velut exorientem Solem hanc CLEMENTIADEM; eius enim præuia Aurora fuit illa Cantio: ſiue Ode, à me Hetruſcis Rythmis, ſed ſtylo condita tumultuario: vt opportunè gratulabunda alacri, recentiq; ore te recenti purpura renidentem ſalutaret. Atque equidem voluiſſem aliquid de tuis dicere virtutibus: vt pote de miro ingenij acumine: de morum, inculpatæq; vitæ candore: de bonarum artium varia diſciplina, qua imbutus es; de honeſtiſſima educatione, cum pueritiam tua ſumma cum laude inter doctos, ſanctosq; viros exegeris; de acri vigiliq; in tractandis ſerijs rebus dexteritate: ac demum de admirabili pietate, qua tu incenſus ſæculo renuntians: atque Illuſtriſſimas, opulentiſſimasq; nuptias reſpuens, ſanctiſſimi Patrui veſtigia ſecutus, optimamque partem eligens, Deo te mancipare, ac conſecrare voluiſti, cælibe, caſtaque vita contentus. Sed quoniam Epiſtolæ anguſtijs excludor, omitto, & in aliud tempus differo. Intereà has maximi patrui laudes, ſiue hanc CLEMENTIADEM, pacato vultu, alacrique animo ſuſcipe: ac me tibi pluribus de cauſis deditiſſimũ amplexari; ac protegere ne dedigneris. Vale. Romæ. Idibus Octobris. Anno à Partu Virginis. 1593.

MVTII SFORTIAE

ELEGIA

AD ILLVSTRISSIMVM ET REVERENDISSIMVM DOMINVM PETRVM ALDOBRANDINVM S. R. E. CARD. AMPLISS.

In qua ipſum de Rure, quò conualeſcendi gratia ſeceſſerat, ad ſuſcipiendum purpureum Galerum reuocat.

FLORIBVS, & viridi gaudens Elegia corona
Hac tibi gratatum, condide PETRE, venit.
Illi tu vacuas præbe latiſſimus aures,
Ipſa tibi claudo dum pede ſaltat ouans.
Tu morbos fugiens Romanas deſeris arces:
Et nunc in molli Tybure figis apros.
Nunc viſco deludis aues, nunc retia Ceruis
Tendis, & inſequeris lata per arua feras.
Delitys te læta capit nunc Tuſcula villa,
Villa tumens etiam nunc Cicerone ſuo.

Atque

Atque hìc maturas generoſas accipis vuas,
Pampinea Autumnus quas tibi fronte gerit.
Et nunc poma capis, calathis quæ ruſtica plenis
Fert Pomona tibi, Sole peruſta genas.
Nunc Muſas audis cantantes feſſus in vmbra,
Dum ſtrepitans herbas mobilis vnda rigat.
At magnus Patruus, claueis qui torquet Olympi,
E Vaticani vertice te reuocat.
Atque oſtrum, ſibi quod crines vmbrauerat olim,
Cui petaſus volucris cedit Atlantiadis:
Cui ſe Regales inclinauère coronæ,
Quod veriti prono vertice Sauromatæ:
Prætendit, geſtitque tuam hoc præcingere frontem.
Purpura te reuocat, deſere rura, PETRE.
Oſtrifer ille etiam reuocat, ſummusque Senatus,
Te ſocium cupiens cernere ſede tua.
Eia age; PETRE*; veni: clarum namq; ardet in oſtro*
Cernere te Tyberis, totaque Roma ſimul.
O quibus ipſe petris meritò te, maxime PETRE,
Contulerim? quantis tunc celebrabo modis:
Purpura velabit cum ſydere pulchrior artus,
Atque imitans flammas tempora lambet apex?
Tunc PETRE *charus eris, magno & ſacer ipſe To-*
Chara velut quondam, ſacraq. Petra fuit. (nanti
In qua ſuccenſus colluxit cœlitus ignis,
Cum virga hanc tetigit ſtellifer alipotens:

Quo

Quo conflagrauit Gedeonis victima cæſa,
Victuroque Duci iam bona ſigna dedit.
Tuque eris ille lapis, quem funda excuſſit Hebræus
Paſtor: quoque ictus concidit ille Gigas.
Nam cum te CLEMENS Reges legabit ad altos,
Hos ipſe inflammans, ad piaque arma mouens,
Hæreticos ſternes victor, Turcasque fugabis;
Sic Domini fretus nomine magna geres.
Sicut & ille lapis, ſupero delapſus Olympo,
Quem Rex in ſomnis viderat Aſſyrius,
Non manibus (ſi parua licet componere magnis)
Montis at auulſus vertice ſponte ſua:
Creuit in immenſum, terrasque impleuit, & orbem,
Cum ſtatuam fregit, comminuitque pedes.
Haud ſecus ipſe, PETRE, petra ſublimior omni
(Augebunt ſic te ſydera, Rexque Poli)
Vltra Apenninum creſces, ſuperabis & Alpes.
Sic condes inter nubila ſumma caput,
Alti vt tranſcendas iuga ninguida Pyrenæi,
Montibus haud ſolum celſior Italiæ.
Atque tuum Gallis, felixque cacumen Iberis
Longè oſtentabis, clarus vtriſque micans.
Eia age, PETRE, redi, ſacro nam murice pulchrum
Optat te mater cernere, teque ſoror.
Matutinus eris certè tu Lucifer illis
Purpureum referens ore rubente diem,

Dumque

Dumque tibi applaudens Tyberis gratabitur, oſtrum
Frondibus aſpergent Naiades, atque Roſis.
Eia age, PETRE, redi. facto nanque agmine Cycni
Per vada Phœbæi te Tyberina canent.
Iamque audire lyras videor per littora pulſas:
Thuſcaque Pierijs antra ſonare modis.
Tu lux, & magni Patrui tu charus ocellus:
Tu decus omne tuis: tu genitricis amor.
Vrbis delitiæ, tu, purpureique Senatus
Lampas, & Aonij ſpesque, ſalusque chori.
Eia age, PETRE, redi. iam viribus ipſe refectis
Alter vt Alcides pondera magna ſubi.
Quo iam reſpiret patruus, vt cœlifer Atlas.
Te rerum faſces, ſeriaque alta manent.
Sic poſitis plectris erupit in Hectora ſæuum
Acrior Aeacides, acrior arma tulit.
Aſpice diſcordes Gallos, Turcamque minantem
Horrida nunc terris, horrida bella mari.
Ergo veni, & tantis conſultus conſule rebus:
Inque Patrum medio iam tua verba ſonent.

FINIS.

MVTII SFORTIAE CLEMENTIADOS

Liber Primus.

AD SANCTISSIMVM D. NOSTRVM CLEMENTEM VIII. PONT. MAX.

QVÆ memoranda canunt, claras quas dicere laudes
De te Cælicolæ mandant, ter Maxime CLEMENS,
Accipe. reſponſis necnon cæleſtibus aurem
Da, Pater, amplecti numeris quæ noſtra Thalia,

Atque referre parat: quamuis,vt cælifer Atlas,
Chriſticolûm res ipſe geras: claueiſque Polorum,
Et tot ſuſtineas,& tanta negotia ſolus.
SCANDERAT excelſum ſolium,quo ſederat olim
Clauiger æthereus, SIXTO iam lumine caſſo
Succedens pius Vrbanus gratiſſimus Vrbi.
Sed nondum ſacro diademate cinxerat altam,
Et meritam frontem; nondum conſpexerat illum
In Vaticano reparato Cynthia cornu:
Cum cælo donat Diuûm pater, atque hominum Rex.
Huic poſt Gregorius tandem ſucceſſerat:& vix
Auxilium, turmaſque equitum, peditumq. cateruas
Miſerat hic Gallis; vix Sol percurrerat anni
Sydera iam duodena: aſtris cum protinus infert
Illum concuſſum longis Mors inuida morbis.
Iam Petri Nauis clauum ſuſceperat altum
Ille gubernator,cui vita innoxia nomen
Fece-

Fecerat,& celſa vigilans de puppe notabat
Arcturum, pluuiasque Hyadas, geminosq. Triones;
Ac tutum per iter, per fida hanc aſtra regebat.
Illum cum medijs in tempeſtatibus atris
Fluctus vt hybernus manus excutit impia Lethi.
Hæc ego contemplans: Quid nam, regnator Olympi,
Quid, Pater alme, paras? Num vis ſubmergere puppim,
Excitus à ſomno quam debacchantibus Auſtris
Eripuiſti olim, lætas cum lumine terras
Efficeres, ſiccisque ires per cærula plantis?
Nonnè vides æquor tumidum, ſæuasque procellas;
Et decertantes freta per ſpumantia ventos?
Frigidus vtque Aquilo iam ſtridet ab orbe Britanno:
Vt Morinos, Belgaſque ruens, per Gallica triſtis
Regna furit? terras vt miſcet, & æthera ponto?
Nonnè vides ferus Eois à montibus Eurus
Vt tonat, vtque fremens Euxini littora turbat?

Vtq́ue àmplis, niueiſq́ue alis Nepheleidos Helles
Peruolat anguſtas vndas, nobisq́ue minatur
Mortem, hyememq́ue ferens? vt pallida clade futura
Magno pulſa metu trepidant mortalia corda?
Te tamen interea iuuat vt rectoribus orba
Fluctuet iſta ratis, freta perq́ue immenſa feratur,
Quem prendat portum, quò ſeſe incerta receptet.
Purpurei Nautæ qui tot legère magiſtros,
Defeſſi, & tanto attoniti diſcrimine rerum,
Hærent, quemq́ue optent dubitant, qui prouidus illum
Corripiat clauum, puppiq́ue immittat habenas.
Ipſe graues noſtros ſemper miſerate labores,
Nunc face, vt optetur Præſul, cui longius æuum
Contingat: quiq́ue hos ſuperet virtutibus, vt Sol
Aſtra premit radijs: cui tu noctesq́ue, dieſq́ue
Adſis, ſufficiens aptas ad munera vires.
Talibus orabam lachrymans, fixusq́ue manebam

Subla-

Sublatis oculis tendens ad ſydera palmas.
Cùm ſolas inter Phagos, celſaſque Cupreſſus
Me languens viridi ſomnus proiecit in herba.
Tunc ego viſus eram ſtans celſo in littore ponti,
Inſula quà Lycias longè proſpectat in vndas,
Cernere piſcoſos ſeſe ſubducere fluctus
Paulatim à terra, & ter mille recedere paſſus,
Algis dum refugit ſaliens genus omne natantum.
At muri in faciem circumſtetit vnda tumeſcens.
In qua cæruleo contectus membra capillo
Stabat Neptunus ferus, innixuſque tridenti,
Æthereo expulſus regno, immerſuſque profundo
Attonitus nouitate rei: circumque pauebant
Partibus ipſius hærens exercitus omnis,
Cum Phorco tum Glaucus, & Inous Melicerta.
Informeſque vocans Proteus ad ſibila Phocas.
Et trepidæ adnabant tremulis Nereides vlnis.

Quas inter tumido torui Tritones ab æſtu
Exertos humeros hærenti murice ſparſi,
Quid ſibi nam vult hoc? clamarunt. Num pede ſicco
Hæc vada quis populus modò pertrãſibit, vt olim
Oceani rubri ſtantes iuère per vndas
Abramidæ,& nudum tetigerunt littus ouantes?
Ecce autem extemplò media ſurgebat arena
Cælicolùm manibus ſtructum,mirabile viſu,
Ingens,auguſtum, Pario de marmore templum.
Iamque coronati pueri, innuptæque puellæ
Protinus à terra procedunt ordine longo.
Et veluti, niueis cùm pennis nubila tranant
Seu vada Mæandri linquentes, ſiue Cayſtri,
Agmine iam facto dulces modulantur Olores;
Exercent choreas,alterno & carmine Regem
Cælorum,Matremque Dei, Sanctoſque canebant.
Tunc me illis addo comitem, valuaſque parentes

Ingre-

Ingredior, venerorque ſtupens altaria templi.
Quod medio ſuſpenſa tholo fulgore perenni
Aurea luſtrabat lampas. Tum lumina circum
Intendo: & varios ſculptos in marmore vultus
Aſpicio. Nanque hic Simon Magus improbus ille
Remigio alarum (Deus immortalis haberi
Dum cupit, & demens Diuûm ſibi poſcit honores)
Sæuo cum patribus procul admirante Nerone,
Cumque ſuis Furijs Orci applaudente Senatu,
Tarpeio è ſaxo liquidum per inane volabat,
Alter Abantiades viſus, vel Dædalus alter.
Et iam iam victor cælum, ſtellaſque tenebat:
Ni Petrus indignans faſtum mortalis, & auſus,
Oraſſet lachrymis, imploraſſetque Magiſtrum.
Quare Cælicolûm citus è legionibus vnus
Emicat horribilis facie, & ſtridentibus alis:
Atque Magi caput impoſito pede deprimit. ille

In

In mare diſiectis pennis, velut Icarus olim,
In præceps ruit, & mirò ſecat aera ſaltu.
Crureque iam fracto ſe proripit inde, Theatri
Riſibus, & magnis meritò clamoribus actus.
Parte alia ſeptem ſtabant de collibus altis,
Perpetuo qui te cingunt, Vrbs Regia, muro,
Inſignes pietate viri, qui lumine fixo
Vulnera noſtrorum, morteſque, horrendaque lethi
Tot genera, atque cruces, & flumina fuſa cruoris
Intenti lachrymis contemplabantur obortis.
Deinde ſtylo in chartis varias ſæuaſque notabant
Pœnarum Iliadas, deſcriptaque nomina cælo.
Iuſſerat hoc Præſul, quem culmine Cælius alto
Orbi oſtentabat tanto gauiſus alumno.
Marmoream interea gens concurrebat ad arcam
Qua ſeruabatur Sanctum admirabile corpus.
Huius & ex oris extans ludebat, vtraſque

Ad geminos tendens palmas cum voce parentes,
Authoremque, puer, vitæ monſtrabat, in vndis
Illum qui mediis toto ſeruauerat anno;
Hic etenim, vt manifeſta fides, hìc fortè relictus
Ilicet à trepidis genitoribus, æquore rurſus
Ad ſolitas ripas redeunte, vt clauſus in antro
Illic bis ſenos menſes exegerat inter
Squamigerumque vorax genus, & Neptunia monſtra
Incolumis, prece Clementis, curaque per vndas
Non ſecus ac patria blandè nutritus in æde.
Tuncque ſuos longis miſerum qui fletibus illum
Plorarant, velut æthereas reuocatus ad auras,
Lætitia implebat, memorans ex ordine cuncta.
Hìc oculis capti ſacro tum marmore tacto
Optatum Phœbi iubar, & conuexa ſereni
Spectabant cæli. pulſis è renibus illic
Calculus exiliens ſubitò, ſoluensque dolores

Cogebat ſaluos authori reddere grates.
Nec minus obſeſſis agitantur Erynnies atræ
Hic de corporibus, dirisq; vlulatibus omne
Templum incendebant, reboat dum littus, & æquor.
Vt verò populus, Neptuno inſtante, receſſit:
Ex arca ſurgit, ſomno velut excitus alto
Incanus, ſanctoq. Senex venerabilis ore:
Cuius fulgebat tranquilla ſerenior æthra
Frons, niueamq. comam triplex, rutilusq. tiaras
Læto aduelabat: clauesq. adamante coruſcæ
Implebant dextram. De cuius vt anchora collo,
A quo pendebat, cecidit, iam fune reciſo,
Aurata effulgens trabea ſuper æquora vectus
Aurarum pennis, deſerto in littore tandem
Conſtitit: illius quoque poſt veſtigia ventus
Me tulit. Vtq. illum populi, qui fortè ſecabant
Marmora damnati, ſucciſo poplite fronti

Queis oculum eruerat ferus, immaniſq. Tyrannus.
Aſpexère procul: clamoribus vndique lætis
Quamuis crura ſonent ferro, neruiq. retardent,
Protinus accurrunt, circumfuſiq. ſalutant.
Atque illius opem implorant, alacreſq. precantur.
E' quibus, vt ſenior, Phœbus, cui plurima mento
Canities horret, lachrymis ita fatur obortis.

Si non in terram volucris, neque ab arbore vento
Frons excuſſa cadit ſupero ſine numine, quis non
Te, mandante Deo, gemitus qui denique noſtros
Audijt, & lachrymas, nobis ex æthere miſſum
Hæc opportunè veniſſe ad littora credat?
Vt, velut Iſacidis vaſta dux magnus eremo
Ille ſitibundis virga de rupe bis ictæ
Dulces torrentes largarum fudit aquarum:
Sic per te nobis, quos hæc tenet arida Cherſon,
In qua non putei ſtagnant, non lympida currunt

Flumina, cum liquidi procul hinc ſex millia fontes
Abſint, atque humeris illinc ſit lympha petenda,
Fontes, ſiue lacus, ſeu dulcia flumina donet:
Confecti ærumnis hic marmora cædimus. at nos
Non labor excruciat pro CHRISTO talia paſſos.
Tormenti genus; at dudum ſitis enecat ingens.
Areſcens hæret non hudo lingua palato,
Et vix verba poteſt ſitientibus edere labris.
Viſcera torrentur: venas iam deficit humor,
Quas labor aſſiduus crebris ſudoribus hauſit.
Deficiunt vires: ferrum vix brachia tollunt.
Quare tu nobis eſto, pater optime, Clemens;
Tu noſtri miſerere: tua namque ipſe Tonantem
Flectere voce vales, meritis præclarus opimis.
Nam quæ geſſiſti non tantum mobilis ad nos
Fama, ſed extremos tulit ad Garamantas, & Indos.
Talibus ille Senex; cuncti ſimul ore rogabant:

Chriſticolæ. Infremuit tactus pietate paterna
Tum bonus Antiſtes, dictiſq. hos firmat amicis:
Adforeq. auxilium iam, iam promittit ab alto.
Exin illachrymans collem conſcendit opacum,
Seq. ibi proſternens, & prono corpore curuus;
Alme voluptatis torrens, fons vnice vitæ,
Nectare qui liquido, cryſtallo purior omni
Cæleſtes hilaras hortos, camposq. beatos:
Tu qui Sampſoni deuictis hoſtibus olim
Poſt illud benè confectum certamen, anhelò,
Enectoq. ſiti latices, lymphasq. petenti,
Illius vrgentes lachrymas miſeratus, Aſelli
E mala, modò qua dederat tot millia letho,
Eduxti fontem, cuius ſalientibus vndis
Proluit os arens, flagrantiaq. ille rigauit
Viſcera; non vni, aſt hominum miſerere duobus
Millibus, inuicti qui pro te prælia pugnant:

Queiſq. negauit aquas per inhoſpita rura Tyrannus:
Atque his da fontes, da flumina cælitus orta.
Hæc ſi tu dederis, miracula talia cernens
Impia quæ circum loca gens tenet, eruet omnes
Sacratos diuis lucos, ſacraq. omnia templa:
Atque in te credet viuo de fonte renata.
Talibus orabat dictis, lacrymasq. ciebat.
Exin attollens oculos, ecce aſpicit Agnum,
Cui vellus Geticas vincens candore pruinas,
Aureaq. in læta fulgebant cornua fronte.
Admiranda cano, ſed non mendacia Vatum,
Quos propter celebrem vocalibus Hippocrenen
Vndis fudit Equo, vexit quem penna per auras
Pulſanti, ſcatebris gaudens Parnaſia rupes.
Hic bifido feriens dextro pede collis aprici
Saxum ingens, dulcem fontem pandebat aquarum.
Ille cadens ſubito raucum per leuia murmur

Saxa ciet, gelidiſq. in campum voluitur vndis.
Obſtupuère omnes, lætaſq. ad ſydera voces
Extemplò attoniti iactant; grateſq. Tonanti,
Et grates Agno referunt: tibique, optime Clemens.
Et Mons Clementem, Clementem littora pulſa
Vocibus ipſa ſonant: Clemens æquatur Olympo.
Nec mora: labentem fit iam concurſus ad amnem,
Gurgitis atque noui latices prona agmina potant.
Dulcibus & ſcatebris arentia perluit ora,
Et rigat hic ſiccas mirando nectare fauces,
Reſtinguenſq. ſitim venas refrigerat hauſtus.
Sed dum per ripas, & per noua gramina fuſa
Turba bibit ſitiens, Clementi candidus Agnus,
Agnus lux Cæli, vitæ, fontiſq. repertor
Oranti accedit propius, dein lætus ad aurem
Arcanos loquitur ſenſus, & magna reuelat.
Dumq. hic affatus multas producit in horas,

Gratiſq. arrectas oraclis perſonat aures,
Inclyta Fauſtini proles nunc ora ſerenat:
Subridens nunc dulcè oculis noua gaudia pandit.
Tantus lætitiæ pertentat pectora motus.
Intereà latè campus ſeſe explicat, in quo
Muſcoſos inter fontes, herbasq. virentes
Narciſſi prono ſpectabant vertice lymphas;
Incanæq. Roſæ fragrabant ſepibus ortæ;
Candida cumq. albis ridebat Caltha Liguſtris;
Grandiaq. irriguis vernabant Lilia riuis.
In medio molli ſurgebant vertice colles,
Per quos Aſſyrium iam naſcebatur Amomum,
Myrrhaq. corticibus lachrymas ſtillabat amaras:
Nec ſecus atque aruis redolebant thura Sabæis:
Raraq. odorato ſudabant Balſama ligno.
His autem è lætis Syluis luciſq. beatis
Agmen Nympharum efulgens in veſtibus albis
Egredi-

Egreditur. Regina illas pulcherrima Virgo
Biſſenis aſtris frontem radiata ſerenam,
Candenteſq; humeros Phœbæa lampade amicta,
Florea deducit ludentes illa per arua.
Aſt hæ marmoreo decerpunt pollice flores,
Crinibus & niueas texunt, frontiq. coronas.
Parte alia iuuenes alijs de collibus adſunt
Paſtores, quorum velabat corpora molle
Vellus, & irradians latè candore niuali;
Ipſi etiam ſertis florentibus aurea vincti
Tempora. Tum citharis felix exercitus ille
Perſonat auratis, atque aptat carmina neruis:
Carmina, quæ nemo potis eſt ediſcere, præter
Inſontes, quibus haud vnquam ſit fæmina mixta.
Occurrunt Nymphæ cantantes ordine longo;
Atque choros glomerant; teneris & vocibus Agnum
Inuitant. Agnum poſcunt concentibus almis

Reginæ ſaliens, perq́. vbera reptat odora
Illius, & teneris balatibus aſtra laceſſit.
Hinc geminos iuuenes, meritis ingentibus ambos
Inſignes, queìs nomen idem, queìs candida curæ
Virginitas, qui fortè virùm tunc agmen agebant,
Appetit. At fuluis velatus pectora ſetis
Vnus, & inculta barba, incultoq. capillo
Horridus, hunc niueum quamuis, purumq́. lauabat
Flumine tum vitreo ſaltantem, & ſpontè ſequentem,
Æthere dum veniens circumuolat alba Columba.
Aſt alter prima roſeas lanugine malas
Pubeſcens, iuxtà quem ſtat ſublimior alis
Regina alituum, Tonitrus ceu ſanguine natum:
Si quando hic tenera feſſus procumbit in herba
Vernanti in prato molli fultus Hiacyntho,
Illius lateri, candenti vellere captus,
Languidus acclinat caput, optatamq́. quietem

Carpit, & in ſomnis cælorum arcana tuetur.

Saltibus hinc magnis modò colles ille ſupinos,
Et modò tranſcendit montes velut Hinnulus altos.
Aſt alacres, niueiq. chori veſtigia ſemper
Ardua ſectantur, poſt ipſum blanda canentes
Carmina: & alternis celebrant dum laudibus illum,
In manibus Palmas, æternaq. Lilia quaſſant.
At cantu ſyluæ reſonant, cælumq. reſultat.
Quoq. magis pergunt, magis in ſecreta recedunt;
Donec cum lætis choreis ad ſydera tendens
E' noſtris penitus oculis euanuit Agnus.

Vt verò ſolus ſolum per littora vidi
Illa ſenem, trepidus prior illum his alloquor orſis:

Sancte Pater (Nam te Pauli iam prædicat orbi
Pagina, teq. Petrus tantorum in parte laborum
Elegit ſocium, ſucceſſoremq. reliquit,
Atque tuum viget in ſcriptis per ſæcula nomen)

Te

Te rectè noui; cæleſtem & protinus Agnum
Agnoui, nobis quem iuxtà oracula Vatum
Deſerti iam petra tulit; qui crimina mundi
Abſtulit occiſus, maculasq́. cruore piauit.
Nec Regina parens, nec me latuère ſequentum
Agmina, Virginitas quæ veſtibus induit albis.
Vnum me latet: hoc mihi declararier opto.
Siſcitor hoc abs te, Quid tàm lætiq́. boniq́.
Ille loquebatur tibi Stellifer Agnus ad aurem?
Accipiens cùm tu, veluti noua gaudia ſacro
Pectore ſentires, ſubriſu talia faſſus
Ora ſerenabas, & grates ſemper agebas?
Si merui, feſtosq́. tuos ſi ritè quotannis
Frondibus ad tectas aras celebramus honores,
Cantu, & flammiferis tædis, & thure Sabæo:
Hoc, ſi iuſta peto, nunc mi, Pater alme, reuela.
Ille autem fixo ſpectans me lumine lætus

Hæc contrà : Superùm Regi gratiſſimus ille,
Cui ſua non tantum, ſed res quoque publica curæ:
Quiq́. ad cælicolas hanc propter feruidus orat.
Idcirco Abramidæ Vati Babylonis in aula
Captiui populi miſerans dum vincla precatur:
Mixtaq. ieiunus lachrymis ſuſpiria fundit,
Tygridis ad ripam nunc tot miracula monſtrat;
Nunc cæli alipotens varia ſub imagine viſus
Cauſas, atque moras, libertatemq́. ſuorum
Spondet, & optanti ventura ex ordine narrat.
Et tibi ploranti nunc tot ſurgentia bella,
Nuncq́. Sacerdotum ſummorum funera tanta,
Publica damna velut, mira hæc ſpectacula pandit.
Et iubet vt verax, perq́. hæc inſomnia vera
Ipſe futura canam, tanti ſolamina luctus.
Conuentu occluſo Patres, ſanctumq́. Senatum
Quem decorat Byſſus, Tyrius quem flammat amictus,
Hæren-

Hærentes varijs ſtudijs decernere quemnam
Optent, qui Petri magnam regat arbiter Alnum,
Et vigil optatum ad littus, portumq. ſalutis
Perducat, modo Fama loquax iam pertulit ad vos.
Tantæ meq. rei mordebat maxima cura.
Hanc etenim, fateor, miro complector amore.
Quippe gubernator ſæuis certantibus Euris
Hanc olim rexi: clauoq. ita fixus adhæſi,
Vt mallem vitam, quàm linquere turpiter illum.
Teſtes vos vndæ mihi, tu grauis anchora teſtis.
Idcirco vt duplici, miſerans, me candidus Agnus
Lætitia afficeret: poſtquàm ſitientibus vndas
Præbuit æternas ſaxo diuinitus actas;
Interius quo me dehinc ſolaretur, acerbamq.
Eximeret curam, mihi ſeria fatus ad aurem.
Seria, iuſta tui quæ nunc ſolatia fletus
Iuſſit: vt ipſe tibi (lætare) ex ordine pandam.

Ipſius

Ipſius arrectis ergo auribus accipe dicta.
Ex his purpureis, claudit quos nobile ſeptum,
Aſſlante illorum pia pectora deſuper Agno,
Cunctorum aſſenſu vir declarabitur vnus,
Cui, veluti mihi, iam claues tradantur Olympi.
Nomine mutato qui noſtro è nomine CLEMENS
Dicetur. mihi qui factis, haud nomine tantum
Perſimilis condet ſæclum meliore metallo;
Olim quos ardens euexit ad æthera Virtus
Heroas referens acta ſine crimine vita,
Factisq. egregijs, æterna merentibus aſtra.
Et quoniam in tacito gaudebam, hæc mente recondens,
Ipſe ſinu; idcirco prodebam fronte ſerena
Lætitiam ingentem, veluti de geſtibus ipſis
Cernere erat. Quid ni tanto lætarer alumno?
Huius &, vt melius noſcas (Nam detinet oris
Peucetijs, cano quas alluit Adria fluctu,

Te tua Palladijs ſyluis noua Gnatia cincta:
Submouet & campis extremis Daunia tellus)
Ipſe tibi nomen dicam, patriamque, genusque:
Hactenus, & breuiter, quæ geſſit, & ordine tangam.
Hic eſt Hippolytus, quem iam Tyrrhena propago
Aldobrandinæ gentis caput, inclytus ille
Syluеſter genuit: peperit quem Detia Læta:
Læta quidem, factura ſuo quod germine læta
Sæcula veſtra foret: venerando cuius in ore
Matronale decus, generoſaq. fulſit Honeſtas.
At Petro eximio conſulto, oracula legum
Qui dedit innumero populo, Hetruſcoq. clienti,
Eliſabetha, gignit quam Flotta Georgius olim
Editus antiquo Cyprio de ſanguine Regum,
Syluеſtrum peperit: ſua cui ſecreta fideli
Florentinorum florens Reſpublica quondam
Credidit. Hic ſcriptis veluti clariſſima lampas

Cæſareas leges prius illuſtrauit; at inde
Non patriæ pulchra pro libertate Catoni
Cedens, amiſſa hac, fines, & dulcia linquit
Arua gemens patriæ, cum coniuge liber, & vltrò
Exulat, illius ſortem indignatus acerbam.
Atque ad Fortunæ Fanum, quod ſortè regendum
Olli Romanus dederat, ſummusque Sacerdos,
Accipit hanc prolem. Sed enim ſuſceperat ante
Lætus Iohannem, ſanctis qui Legibus ipſe
Præditus, aſcendensq. gradus virtutis, ad altos
Paucis conceſſos victor euaſit honores.
Nam Mitra effulgens primùm, ſceptroq. verendus:
Exin iam meritus ſacrum, Tyriumq. galerum
A Quinto, ſanctoq. Pio capit: inq. Senatu
Emicat oſtrifero, nitido ceù ſydus Olympo.
Noſter at Hyppolytus, magni cui gloria fratris
Calchar erat, qui iam cum lacte exuxerat ambas

Inſi-

Inſignes infans materno ex vbere Leges,
Non vnum Romæ tenuit, ſcanditq. tribunal,
Ingenti cum laude, Pius quod iuſſerat idem.
Huius & Orator, pergit dum Præſidis vnà
Impiger ipſe nepos, ſic magnus auunculus vrget:
Vt coniuratus Turcas infringeret orbis,
Tranſmiſit celerem Rhodanum, tardumq. Garumnam.
Vtq. illum placido perduxit Sequana curſu:
Gallorum Regem firmans, populosq. rebelles
Concilians Domino redit; imbriferamq. Pyrenen
Tranſilit, & liquidi vada ditia tranat Iberi.
Atque Hiſpanorum Regem, cui maxima parent
Regna tot, Occaſus Solis cui ſeruit, & Ortus,
Alloquitur, dictisq. pijs inflammat ad arma.
Tethyos alternæ refluas hinc calcat arenas:
Callaicasq. oras, & Luſitana peragrat
Littora, & egregium iuuenem, Regemq. ferocem

Incitat: armatas claſſes hic ſpondet, opesque.
Huius vt eximias dotes, magnosq. labores
Vidit, & agnoſcens exhauſta pericula Sixtus,
Vt tantis meritis æqui reddantur honores,
Sidonio dignos aduelat murice crines.
Mox hunc Theſauro Romani Antiſtitis amplo
Præficit, vt cenſus iam poſſeſſoribus orbos
Condat, & in meritos promens hos conferat idem.
Inde poteſtatem dedit, hac, vt crimina ſoluat,
Atque liget: creditq. vni tot munera Quintus:
Tanta viri virtus, tanta experientia rerum eſt.
At quibus iſtius facinus memorabile verbis
Proſequar? Extinctis viduata Polonica regna
Regibus, & dudum votis ſuſpenſa, vacabant.
Atque hinc Nobilitas ſtudia in contraria ſciſſa
Rege ſatum iuuenem glaciali exciuerat Arcto:
Cæſaris hinc fratrem. Verùm maioribus ille
Parti-

Partibus innixus ſceptrum tulit, atque coronam.
Aſt armis & vi regnum hic inuadere tentat.
Dumq́. hoc molitur, violentus & eruit vrbes,
Deſidia, culpaq́. Ducum deceptus, ab hoſte
Præſenti capitur, cuſtoditurq́. retentus.
Qui prætendentes ramum felicis Oliuæ
Magni Oratores tunc non ſunt vndique miſſi
Illius optata pro libertate? ruebant
Multi è Pannonia germani iuſſa ferentes
Cæſaris. Hiſpanis properat Legatus ab oris.
Auſonij haud ceſſant proceres: Regnator Iberûm,
Quem pia captiui mordebat cura nepotis,
Miſerat hos. aderat magni tum nomine Sixti
Nobilis Orator: meritis ingentibus omnes
Inſignes: omnes linguaque, & pectore clari.
Non tamen inflectunt iuuenem, quem Parrhaſis horrens
Miſerat ad regnum, gelidisq́. Suetia ab oris.

Nam-

Namque vt dura ſilex ſtat,ſeu Marpeſia cautes.
Dictaq. non audit rigidus,nec pacta Senatus.
Fruſtrà Oratores ibant hinc,inde redibant:
Irritaq. aëriæ rapiebant verba procellæ.
Aldobrandinum Sixto tunc mittere viſum.
Paret & hic; nec iter longum, nec magna morantur
Frigora. Danubij gelidis aſt inſilit vndis;
Sarmaticaſq. niues calcat,glacieſq. rigentes,
Aedonas hyemes tolerans,& flabra Bootæ.
Cracouiæ & tandem ſubit ardua mœnia feſſus.
Vt verò pietate grauis,venerabilis oſtro,
Sydereumq. oculis ſpirans,atque ore ſereno
Tantus hic attonitis ollis apparuit heros:
Vtq. viri audita eſt torrens, & lactea fandi
Copia,quoſque vibrat celſo de pectore ſenſus;
Ceu cum vere nouo Phœbus magis æthera ſcandit,
Aureaq. aſtriferi tranſit per cornua Tauri,

Altas

Altas ille niues radijs, glacieſque reſoluit,
Liquitur & canis gelidus de montibus humor.
Non ſecus hic duras mentes, atque effera corda,
Barbariemq́. domat: mulcens & pectora dictis
Obnixos animos mollit. Quid plura? quod optat
Impetrat: & victor quicquid petit, accipit vltrò;
Et iuuenem Auſtriacum tandem de carcere ſoluit.
Hunc olli prompto, lætoq́. Suetius ore
Rex dedit aſſurgens: hunc illi vertice prono
Sauromatæ proceres donant, ceditq́. Senatus.
Aſt hoc præclaro ex facto, tantoq́. labore
Quàm celſæ laudes, & gloria quanta ſecuta eſt?
Egit tunc magnas olli Germania grates,
Auguſti fratris pro libertate recepti.
Proq́. nepote ſui magni Rectoris ab hoſte
Erepto, cecinit dignas Hiſpania laudes.
Atque aduelarunt ciuili tempora Quercu

Cæſar,& Auſtriaci deuincto pectore Reges.
Vtq́. triumphanti quondam,ſecumq́. trahenti
Captiuum Abramo,ſed raptum ex hoſte nepotem
Iuit Melchiſedech hilaris,gratanſq́. Sacerdos
Obuius. Haud aliter redeunti huic denique ab Arcto
Sarmaticis ruptis vinclis,iuſſiſque peractis,
Purpureis Patribus comitatus, pectore læto
Occurſat Sixtus,meritæq́. dat oſcula fronti.
Hunc voti compos laudat, celebratque: ſupremum
Olli vaticinans ſolium,triplicemq́. Tiaram.

Libri primi Clementiados Finis.

MVTII SFORTIAE CLEMENTIADOS
Liber Secundus.

AD SANCTISSIMVM D. NOSTRVM CLEMENTEM VIII. PONT. MAX.

HACTENVS Antiſtes terris modo iura daturus
Qua nam ſit patria, quibus & natalibus ortus:
Et conſanguineos, atque illius inclyta facta,
Et quantum iuſſus peragrans telluris obiuit,

Olli Getulo dum frons ſacra purpurat oſtro,
Diximus. Hunc etenim ſuperùm Regnator, vt ingens
Commendaret eum prius experientia rerum,
Impulit has, atque has terras, tot adire labores.
Nunc maiora loquar, quæ, cùm ſuſceperit aſtris
Fulgentes Claueis, quibus ingens paret Olympus,
Hic geret, vt certis oraclis ſtellifer Agnus
Ille mihi canit. Arrectis hæc auribus hauri.
ALDOBRANDINVS, quem rerum exercuit vſus
Tantus, vt ad clauum Petri ratis arte regendum
Multa peruigilans accederet, atque peritus:
Qui Regum haud opibus fretus, votisq. potentum,
Haud alios meditans, cæleſtes præter, honores,
(Namque illum ſemper felix hic ambitus angit)
Magnis cum Patribus cauea modo clauditur illa;
Omne repentè feret punctum applaudente Senatu,
Alter ab orbifero Rectore vocatus, vt Aron.

Spi-

Spiritus almus enim æterni de pectore Patris
Procedens, Natiq. Dei, Deus ipſe, per omnem
Qui ſpirat mundum, magnoq. hunc numine complet;
Cuius ope, & nutu gemmis turgentibus olim
Floruit, & fructus Aronis Virga relicta
Induit. igniuoma qui ſub rutilaq. columna
Quærenti Romæ magnum ſub rupe latentem
Gregorium oſtendit; cuius leuis incita flabris
Æthere poſcenti populo delapſa columba
Inſignes perſæpè viros, in vertice ſidens,
Cælitus ad magnos, ſacroſq. vocauit honores:
Pectora clauſorum procerum diſcordia primum,
Ac ſuſpenſa diu coget ſuffragia ſoli
Hippolyto dare, qui noſtro de nomine CLEMENS
Dictus, & à Petri ſolio ſublimis habenas
Tantarum accipiet rerum, Claueiſq. Polorum.
Ominaq. accipiet de nomine Præſidis, orbis,

Ex hoc cuncta viro meritò felicia ſperans.
Ille autem nomen ſapiens hoc eliget. illo
Pectore namque ſuas poſuit Clementia ſedes.
Illo pro templis, & thure calentibus aris
Vtitur hæc Virtus: gentes hoc nomine cunctas
Ad ſeſe trahet, ignoſcens ſua crimina faſſis.
Ex illo hoc diſcens humili, mitiq. Magiſtro,
Voce laborantes magna qui conuocat omnes.
Ex hoc & pacem populis, gratamq. quietem
Innuet, arma fugans, ſpondebit & ocia terris.
Sed quoniam ſibi cæleſtes aſſumet honores
Non ope mortali, at diuinitus ille vocatus,
Vt Moſis frater: quales hic corpore veſtes
Induit: ille animo tales ſe veſtiet intus.
Namque iubente Deo factæ myſteria pandunt.
Qui ſuper exertos humeros velabat amictus,
Purpura quem, Byſſusq. decent, Hiacynthus, & aurum,

Con-

Conteget huic ſcapulas, miro qui captus amore
Menteq. ſyncerus, ſapiens, meditansq. ſuperna
Sardonychas geminas humero geſtabit vtroque.
Et dextro cælis inſeruiet, aſtraq. ſcandet:
Cælicolumq. choris aderit. mortalia læuo
Curabit, terrasq., omni dum iura dat orbi.
Et Rationalis geret hic in pectore formam,
In qua biſſenæ fulgent pulchro ordine Gemmæ,
Iſraële ſati per quas ſua nomina ſignant.
Summus enim hic magna rutilans ratione Sacerdos
Ad ſuperùm Regem ſacris altaribus aſtans,
Ac mactans vitulos labiorum, & maſcula thura,
Et Myrrham, Coſtumq. adolens in pectoris igne,
Pro cunctis populis, cunctoq. precabitur orbe.
Nec quadratum illud, Ratio cui nomina fecit,
Auro geſtamen, varijsq. coloribus ardens
Sic illuſtrabant Amethyſtus, Iaſpis, Achates,

Sarda

Sarda nitens, & Onix, & fulua Topatius, atque
Aëra Sapphirus referens, ignemq. Pyropus,
Chryſolithusq. auro flagrans, herbaq. Smaragdus;
Glaucus Berillus, Lyncurius, atque Hiacynthus,
Auro omnes cincti. Neque ſic ſacer ille Tiaras
Tàm pretioſorum lapidum terno ordine ſurgit,
Quem geret excelſo noſter mox vertice CLEMENS;
In quo gemmarum procul ardet, quicquid Hidaſpes,
Quicquid & eructat fuluis Aceſinus arenis,
Attulit & quicquid pelagi ſcrutator Eoi,
Quicquid & à venis radiantibus India miſit:
Spiritus vt magnus varijs virtutibus ille
Mille refulgebit, noua vt admirabilis Iris
Mille trahens varios aduerſo Sole colores.
Quin etiam, cùm Iuſtitiæ radiabit amico
Sole laceſſitus, Sol ipſe videbitur alter.

Siq. in ea lamna, ſacro quæ pectore fertur,

Verum

Verum erat inſcriptum: ſimul & Doctrina peramplis
Scalpta notis. Quis nunc verbis æquauerit huius
Doctrinam, arteſque, & ſublimis acumina mentis?
Nam Iura haud tantum didicit, conſultus vt orbem
Legibus emendet, mores imitatus auitos.
Aſt Inſtrumentum ſacrum verſauit vtrumque
Sæpius: & ſacris iuuat impalleſcere chartis,
In quibus à falſo verum diſcernitur ipſum.
Aſſiduaq. manu diuina volumina voluit.
Atque hinc ſolus habet quicquid ſcripsère Latini,
Graiugenæq. Patres; quicquid docuère minores,
Quærendo exactè qui ſingula & ordine tradunt.
Nec diſciplinis varijs ornabitur ipſe
Solus: at exemplo coget Dux optimus omnes,
Qui caſtum, ſacrumq. agitant cæleſtibus æuum,
Haſce ſuo amplecti, veſtigia clara ſequentes.
Vt iuxtà Vatem, Doctrinam flammea ſeruent

Labra

Labra Sacerdotis, legemq. rogantibus edant.
Promptius hocq. vt agant, doctis ſua præmia ponet.
Indoctosq. ignominia, dignaq. repulſa
Afficiet. Quare multa virtute micabit
In populis, Temploq. Dei mox quiſque Sacerdos.
In medio nebulæ ceu matutina coruſcant
Aſtra, viatori gratum præbentia lumen.
Vtq. Dei nomen bene ſcalptum ſemper in auro
Maximus ille Aron vittata in fronte gerebat.
Sic meus hic CLEMENS cæleſtia mente volutans
Semper, & anteferens ſuperùm Rectoris honorem
Omnibus: oſtendet factis expreſſius vni
Se ſeruire Deo, curaq. hac vrier vna.
Illius vtq. ampla demiſſæ veſtis ab ora
Punica pendebant cocco flagrantia mala,
Aureaque edebant hæc tintinnabula mota
Intermixta ſonos, cum templa ornatus adiret.

Non

Non ſecus incedet pomis hic cinctus Amoris:
Cortice puniceo ceu grana rubentia dum vos
Cogitat, aſtrictos æterno fœdere pacis.
Aureus & dictis, & factis prædicat orbi.
Ipſius & fama per terras vita remotas
Sancta ſonat latè, populosq. inuitat ad aſtra.

Baltheus vt renes cinxit, textumq. verenda,
Et femora obtexit linum magnoq. parenti,
Illius & natis, ſacram ſcandentibus aram.

Non ſecus hic ſtrictis ſubnectens cingula lumbis
Caſtior Hippolyto, gaudebit virgine vita,
Virginis admonitus factis, & voce Magiſtri,
Quem Regina Poli peperit ſanctiſsima Virgo.

Vt vero Amramides vitulis faciebat, & Agnis
Orans pro populo, iuxtà præcepta Tonantis.

Sic Sylueſtriades ſcandens altare tremendum,
Agnum qui fontem pede nunc eduxit aquarum,

Agnum; qui nobis eſt tanta arcana locutus,
Agnum, ſacrificans, cuius vt carne Sacerdos
Sanguineq. eſt paſtus, iam viuus & integer idem
Permanet, æternoꝙ, populi pro crimine, Patri.
Quottidie lachrymas inter ſuſpiria rumpens
Offeret, à vobis auertet & illius iram.
Tantus candor ineſt animo: ſic pectora ſacra
Quottidie veſtræ mordebit cura ſalutis.
Nec tantum Amramiden factiſq. & veſtibus ipſum
Conferat huic quiſquam; ſacræ ſed fœderis Arcæ
Hunc etiam ſimilem, contemplans plurima, dicat.
Nanque vt florentem viridanti germine virgam:
Et geminas Legis tabulas de marmore, ſcriptas
Diuino digito, concretaq. roſcida mella
Grandinis in morem multo hæc geſtabat in auro.
Sic etiam Virgam verborum flore virentem
Fructibus ille geret factorum ſemper onuſtam.

Opti-

Optimus & Paſtor niueos hac diriget Agnos.
Lanigeras & Oues ad pinguia paſcua ducet,
Ducet ad Electro currentes purius amnes.
Hacq. coercebit pendentes rupibus Hædos.
Prætereà geminas tabulas in pectore Legis
Hic exaratas digito diuinitus almo
Perferet,has ſecum meditans noctesq. dieſquè.
Vna Rectori ſtellantis ſeruiet æthræ
Impiger,atque huius ſublimia iuſſa faceſſet.
Altera at officijs mortales mille iuuabit,
Haud vnquam lædens,homini Deus optimus alter.
Moribus at verò referet cæleſtia mella·
Dulcibus,& certè Clementis nomine dignis.
His dabit hic veniam poſcentibus;his ego mundum
Poſt illum iam cerno trahi.Sic nectare totus
Diffluit,atque omnes ad ſe ſe inuitat amandum.
Quid memorem quantis meus hic virtutibus heros

Moſen iam referet? ſexcentum millia quamuis
Ductaret:cunctorum hominum mitiſſimus ille
Attamen,æthereis quos cælum paſceret auris,
Tunc erat. Haud aliter tot magnos inter honores,
Tot celſas inter Sedes,claroſque Tiaras
Corde erit hic humilis,longè & mitiſſimus idem.
Tantas,vt gentes vigilanti pectore ſemper,
Cura indefeſſa tunc prouidus ille regebat.
Nunquam deficiens populis,ſic iſte,vocatis
Iura dabit,miſeroq. vigil ſic conſulet orbi.
Arduaq. vt Sinæ ſuperans faſtigia montis
Alloquio optato,magni facieq. Tonantis
Ille fruebatur,tenui caligine tectus.
Aſtriferi ſic mente petens hic culmen Olympi,
Aſpectu, verbiſque Dei dignabitur almis
Sæpius, abſtractus cæco de turbine ſæcli.
Quin etiam ſecum prudenti hic corde volutans

Arbitrio in terris ſummi, nutuq. Tonantis
(Irridens caſum, Fortunæ & nomen inane)
Cuncta geri: trifidoſque, Preces, huic ſæpius ignes
Excutere, amplexus ſublatam in vulnera dextram,
Illius has vnas iram placare, minaſque;
Contemplans itidem qudò maxima prælia Reges
Vicère Abramidæ; celebres quòd mille triumphos
Hoſte reportarunt fracto, non agmine, & armis,
Sed precibus magis inſtructi, lachrymiſque profuſis.
Barbara quodq. orans tanta inſurgentia fudit
Agmina Theudoſius, olli dum militat æther:
Quodq. pharetratos Perſas Heraclius orans
Fregit, ouāſque Crucem captam, Dominiq. Trophæum
Rettulit, & montis ſpoliati in culmine fixit.
Chriſticolùm magno titubantia regna tumultu
Cernens, has ad opes, hæc ſancta recurret ad arma.
Quare ceu Moſes ſtans altò in vertice montis,

Atque

Atque inſtar Crucis extendens ſua brachia, donec
Nauiades pugnat, laſſas ne fortè remittat
Palmas, hinc magnum fratrem, atque hinc imperat Hurũ
Ipſius feſſos iam ſuſtentare lacertos.

Non ſecus inuitus, dum tanta negotia curat,
Dumq́. hic reſpirat, ſe ſuraturq́. labori,
Quæret in orando ſibi qui ſuccedere poſſint:
Semper vt oretur, flectatur & ira Tonantis.
Idcirco ſuperùm ſacra, perq́. immania templa
Septem Roma ſuis quæ collibus aurea cingit,
Cœtus, qui nunc hìc orent, nunc protinus illic,
Inq́. vicem precibus purgato & pectore magnos
Cælicolas placent, ſtudium quibus ima tueri,
Inſtituet. Sanctus qui mos durabit in æuum.

Auratas phialas, plenas & odoribus omnes
Queîs Arabum ſegetes cedant, meſſeſque Sabææ
Stellatos volucres deferre ad ſydera cæli

Spe-

Specto Romuleis ex arcibus;altera thura
Quàm quæ fert diti Panchaia pinguis arena
Thuribulis adolent puro fulgentibus auro;
Atque hæc thuricremam templi ſtellantis ad aram
Iactant,pergrato mulcent & odore Tonantem;
Arridens qui,Roma,tibi benedicet ab alto,
Omniaq. indulgens concedet proſpera felix.
Tunc dilecta Deo,verèq. vocabere Sancta.
Templum auguſtum,ingens, diuinis laudibus omni
Tempore diſſultans,tunc tota videberis,halans
Thure precum ſemper,ſemper virtutibus aucta.
Sed quoniam ſuperùm Rectori gratior illa eſt,
Et magis extorquet quod vult Oratio, quæ iam
Pectore miſſa volat,quod per ieiunia ſeſe
Mactat,& excruciat corpus,ſenſuſque rebelles
Edomat.Aſſyria veluti delectus in aula
Iſacides iuuenis,dominæ dum fercula menſæ,

Regificaſque dapes, pretioſaq. pocula Bacchi
Reſpuit, & potans Euphratis lætior vndam
Eſt Peluſiacam Lentem,vilemq. Faſelum,
Pulchrior apparet;dehinc per ieiunia ſeſe
Affligens,dignus cernit ſpectacula m ira;
Aligeroſque Dei venientes ſæpè miniſtros
Audit,& affatur,cupiens venturaq. diſcit.
Hic lautas ſpernens epulas, & nigra Falerna,
Pallida complexus læto ieiunia corde,
Corpore ſe melius valido(quis credat?) habebit.
Dum tua ſeu celebrat toties ſolemnia feſta
Inclyta Regnatrix ſuperùm,Materq. Tonantis.
Illas ſeu luces venerando præuenit almas
Artus indutus noſtros,quibus ipſe,ſalutem
Orbis ſeruator,fers,& noua gaudia mundo.
Seu ſacra ſynceris pius excipit annua votis
Veſtra,ſerenati qui celſa ſedilia cæli

Ma-

Magnanimi Heroes, Regi & propiora tenetis.
Audiet hinc ergo diuina oracula dignus;
Nec rarum à magno capiet ſolamen Olympo.
Vtque quaterdenas luces ieiunus, & vmbras
Eſt iter ingreſſus deſerta per auia longum
Elias, ſed pane ſatur, quem nuntius olli
Attulit æthereus ſomnos per gramina fuſo
Tum ſub Iuniperi carpenti dulciter vmbra,
Donec legiferi vocale ad culmen Orebi
Tenderet, & victor ſuperis iuga ſacra teneret;
Non ſecus hic ſummo & cæleſti pane refectus,
Qui verè cæli Ambroſia eſt, Nectarq. beatum,
Huius per vitæ vaſtam ieiunus eremum
Tranſibit, ſuperi teneat dum culmen Olympi.
Ardentiq. Dei zelo pellitus, vt ille
Heros Thesbites, vltroq. acerrimus arſit,
Atque Sacerdotes Erebi inſectatus amarè.

Sic zeloq. Dei flagrans, cultusq. ſuperni
Hic Germanorum propter confinia condet
Gymnaſia, electi quibus inſtituantur ephæbi
A ſacris doctisq. viris. Hiq. artibus aucti
Egregijs, veluti miles Gedeonis Eoum
Lampadibusq. tubisq. furens erupit in hoſtem;
Armati innocuæ vitæ ſplendore, tubaq.
Doctrinæ, fera corda patrum, mentesq. rebelles
Iam debellabunt, & ſub iuga priſca redactos
Veracis Fidei, celſa ad Capitolia ducent.

Quid memorem quàm corde humilis, quàm pectore (pauper
Hic erit, & tumidi franget qui cornua faſtus?
Fictilibus veluti Siculum cœnaſſe Tyrannum,
Atque luto Samio, fama eſt, oneraſſe ſuperbum
Sæpius illum Abacum, cum poneret aurea vaſis
Fercula gemmatis: quò fixum mente teneret
Se figulo genitore ſatum, fortiſſimus etſi

Sica-

Sicaniæ Rex iura daret. Sic regna Polorum
Cum reſeret, claudatque; Petriq. è culmine ſedis
Arduus hic totum nutu perterreat orbem;
Ne fortè illum inflet tantarum gloria rerum,
Illius in thalamo ſtabit caluaria fixa,
Aſpectu admoneat, quæ, noſtra nouiſſima ſemper;
Quæq. olli in mentem reuocet de puluere factum
In cinerem ſoluendum ipſum. Sic maximus olim
Diuino alloquio cum dignaretur Abramus,
Oblitus non ille ſui, nec originis. Vnde
Ipſum ſe noſcens, cinerem ſe faſſus, humumq. eſt.
CLEMENTEMq. meum capiet clementia talis,
Pauper vt ipſe animo, quo dulcia iuſſa capeſſat
Illius, ſeſe, qui lumine amictus, Olympi
Rex, inopem fecit, nos vt ditaret egenos,
Non iam condat opes, congeſtoq. incubet auro;
Sed doleat miſerans inopem. Eſurientia quare

Agmina clauſa pijs in ſeptis paſcet abundè.
Prætereà, ceu cùm faſces Romanus iniret,
Ne ſibi Conſul ea pompa, ſaſtuq. placeret,
In curru ſeruus iam portabatur eodem.
Non ſecus hic quamuis contexto fulgeat auro,
Et gemma bibat, & Sarrano dormiat oſtro:
Vt reminiſcatur tamen id, quòd nudus ab aluo
Materna egreſſus, antiquæ in viſcera matris
Ipſe reuertetur, veluti plebs cætera, nudus.
Pannoſos, nudoſque inopes diſcumbere poſt ſe
Iuſſerit, èq. ſua præberi his fercula menſa.
Magni Gregorij præclara exempla ſecutus.
Cuius ceu ſanctos mores imitabitur: æger
Sic varijs hic penè malis torquebitur. ac ceu
Fortiter ille tulit: ſic iſte manusque, pedesque
Morbo correptus, feret æquo pectore fortis.
Sæpius ille ſua menſa accipiebat egenos,

Atque peregrinos,quos inter cernere tandem
Cælicolùm meruit manifeſto in lumine Regem.
Atque hic fortè meus,modo quem cõſpeximus Agnũ,
Cœnantes illos inter, ſub imagine nudi
Pauperis accipiet,gelidoq. horrore trementis.
Viſus vt eſt idem quondam ſanctoque, pioque
Pannonio iuueni,qui tunc armatus, equesque
Dimidium chlamydis,qua circumtexerat arma
Huic dedit,hæcq. dein per ſomnia vidit amictum.
Atque vt Pellæi gens fortunata Canopi
Dixit Iohannem,magno qui Præſul amore
Pauerat hanc,larga diffundens munera dextra,
Aede ſibi in tota nil prodigus ille relinquens,
A ſtipe profuſa,patrem,& ſolamen egentum.
Talibus & titulis, meritoq. hoc nomine paſta
Ex æquis poterit factis hunc dicere Roma.
Maior at hunc Pietas,& amor flagrantior vret,

Vt qui non tantum ſit iam diſpergere nummos
Pro CHRISTO, aſt etiam è venis haurire paratus
Sanguinem,& in mediis vitam ipſam impendere pœnis.
Quare theſauros,veluti Laurentius alter,
Quos magnos genitrix Eccleſia ſeruat ad vſus;
Prodigus vtq. parens æraria clauſa reſignans
Plurima nunc fido mittet ſtipendia Gallo,
Vt ſeſe tutans à finibus arceat hoſtem.
Dum nouus electus crines diademate cingat
Regnator,tantos qui maieſtate tumultus
Obruat,ad priſcam & reuocet ſua regna quietem.
Nunc ipſi Auguſto armato milite contra
Stanti fœdifragos per atrocia prælia Turcas,
Sæpius irrupto qui limite magna laceſſent
Oppida Pannoniæ prædis violenter abactis;
Afferet auxilium miſſo largiſſimus auro,
Hos vt ſubmoueat, promptiſque coerceat armis.

Quare huius frater iuuenis, quem carcere nuper
Soluerat Iſmario, Pæno ſed fulgidus oſtro
ALDOBRANDINVS, ſecum benefacta volutans
Quæ Cæſar frater, quæq. ipſe acceperat ante,
Vt memor, vt gratus, glaciali ignotus ab axe
Immenſum per iter Romanas tendet ad arces,
Et grates referens, hunc & proſtratus adorans,
Illius affiget ſignatis oſcula plantis.

Vt verò ad tantos erit hic aſſumptus honores,
Atque Deum terris referet; Non ille potentes,
Hærentesq. ſuis pariet per munera partes;
Collato in plures oſtro, ſcamnoq. Senatus.
Non regnis, cenſuvé ſuos ditauerit amplo.
Non hos extollet Regalibus vſque Hymenæis.
Vix magnis precibus longo poſt tempore fractus
Paucos ille viros meritos, geminoſq. nepotes
Spem gentis, Tyrio donabit murice tandem.

Tan-

Cum loca iam teneatis,habet quæ frigidus alis
Horriferis Aquilo,cuſtosq̃. Erymanthidos Vrſæ,
Iſtius vt flabris artus,ſic illius auris
Lethiferis animas,inſanaq̃. corda rigentes:
Ductori ſimiles heu defeciſtis ab illo,
Fungitur hìc magni vice qui Rectoris Olympi,
Quiq̃. regit claueis,cæli quibus oſtia parent;
Pandite nunc oculos, quos circumfuſa tenebris
Errorum denſis tenuit Nox plurima dudum;
Ac veſtras acies ad magnum flectite lumen,
Quod candelabrum hoc auri fulgore coruſcum
E ſeptem vibrat longè,latèq̃. lucernis,
In quibus accendit cæleſtia munera ſeptem
Spiritus ille,Dei digitus,fons viuus,Amorque:
Eq̃. iugis ſeptem,ſurgit quibus inclyta Roma,
Ceu Solis radios,terras diffundit in omnes.
  Aſpicite hanc arcem de vertice Vaticani

Cunctis conſpicuam, quæ Dauidis æmula turris
Stat munita armis: quam propugnacula circum
Surgunt, & pendent Clypei longo ordine mille:
Cui non vlla queat vis Orci ſæua nocere.
Poſt ibus hæc paſſis en vos inuitat, vt intrò
Adm iſſos foueat pia vos Eccleſia mater.

O ſtulti fatuique, ſuæ vos condiat hic Sal,
Verè Sal terræ, vitæ cæleſtibus altæ
Exemplis; monitisq. ſalubribus intonet aures.
Nanque poteſtate haud tantum, ſed moribus ipſis
Eſt Domino ſimilis. Sic paupertatis amator:
Sic humilis: terras ſic deſpicit, aſtraq. ſemper
Affectat: ſublimi inhiat ſic pectore cælo.

Eia agite audentes accedite, conuocat en vos
Iſte nouus Samuel: ſtricto contendite ſecum
Iudicio. Si vos offendit crimine vitæ,
Hunc accuſate, probris hunc carpite iuſtis.

At

At contrà ſi lux fuit, & via recta ſalutis:
Errantes vt oues cur hoc non auſpice iam vos
Veſtrarum ad Paſtorem animarum vertitis olim?
  En alter Leo, quem noſtræ dat Ethruria Romæ:
Præſide quo temnit gentes, & barbara bella
Italia. Huic etenim tanta eſt facundia linguæ,
Is morum candor: tanta & venerabilis oris
Maieſtas, trepidans alter iam cederet Hunnus
Attila: cum ſignis furor & ſubmitteret arma.
  O miſeri, penitusq́. fide, velut orbe, Britanni
Diuiſi, agnoſcat caput hunc Eccleſia veſtra.
Alter Eleutherius, ſi fortè admittitis, alter
Magnus Gregorius vobis, & origo ſalutis
Hic erit. atque cadens meretrix non amplius illa
Iura dabit, quam claram oſtro, gemmiſq́. nitentem
Coccineis humeris fert aſpera bellua cornu;
Ebria ſanctorum quæ ſanguine ſuſtinet auro

Ardentem pateram,vobisq́. aconita propinat.
Huncq́. Sacerdotem ſupremum agnoſcite veſtrum:
Hunc caput accipite;optatis ſi viuere membra,
Bellua multorum capitum,Germania demens.
En nouus iſte Aron veſtri inflammatus amore,
Thuribulumq́. precum iactans,ruit obuius igni:
Per mediosq́. globos flammarum extinguere tentat
Iræ diuinæ cælo erumpentia ab alto,
Vt vos deuaſtent,veſtrasque,incendia,terras.
Hic alter Moſes,qui non orare Tonantem
Deſinit,vt vobis parcat,ſeu deleat ipſum
De vitæ libro, vos per diſcrimina ducat;
Præteritæ ſi vos cœperunt tædia vitæ.
O deſciſcentes Galli,Belgæq́. proterui,
Gentesque,æternis Helice quas tarda pruinis
Damnat, & indomitas Aquilonis frigus adurit:
Si ſapitis,vos hic Samuel modo iudicet alter:

Qui cæli Regem noctesque dieſque fatigat,
Vos propter lachrymans; pro Saulo orabat vt ille.
Vobis vera canat, ſuperumq. oracula pandat
Hic alter magnus vates Eliſæus, Auerni
Qui regnatòrem vos obſidione prementem,
Et procul infernos hoſtes orando fugabit.
Atque fame in tanta pleno vt vos Copia cornu
Cælitus inuiſat, cæleſtia munera portans
Efficiet: veſtro mittens de ſanguine natos,
Diuini verbi vobis qui frangere panem,
Et ſaturare auidos longo poſt tempore diſcant.
Hocq. ad præſtandum Herois reuerentia tanti
Vos magis inducat. Viuo huic parete Magiſtro.
Nanque olli in cælis ſtellis modo millè coruſcum
Ornari ſolium, celſaq. in partè locari
Aſpicio. Vtque illi pulchram ſubtegmine veſtem
Æterno texat, multo & diſcriminet auro

Addens

Addens Sapphiros,immortalesque Smaragdos
Gloria,læta viri cantans celeberrima facta.
Implexam aſtrorum radiis torquere coronam,
Qua mox illius victricia tempora velent,
Specto cælicolas.Valuis bipatentis Olympi
Aligeras acies,ſcintillantesq. phalanges
Egreſſas,Palmasq. manu,Laurosq. ferentes,
Atque illi inſtructo occurſantes agmine Vitæ
Victa triumphanti calcati gaudia mundi
Cernere iam videor. miris & cantibus illam
Ipſius ad ſolium Regis deducere magni.
Hæc vbi dicta dedit iuſta inflammatus ab ira,
Quam faciebat amor,rutilanti auguſtior ore
Diſceſsit;meq. ipſe ſimul,ſomnusq. reliquit.

Libri Secundi Clementiados
Finis.